



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 2. Impugnatur Thomistarum sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quit, quin obiectum intret definitionem, ita neque specificari nisi in ordine ad illud. Additque hoc intendere auctores, cum dicunt actus specificari per actus, & actus per obiecta. In hoc argumento admissum conuenio principium, ex quo infero actus à priori non specificari ab obiectis, sed tantum à posteriori, quod tantum importet ex obiectorum diuersitate recte colligi diuersitatem actuum. Afferit iste eadem esse principia essendi, ac distinguendi, sed obiecta ea, quæ mediis speciebus non influunt in actus qualia plurima reperiuntur non sunt principia illorum, sicuti actus supernaturales habituum infusorum principia non sunt, nisi latissime principium sumatur pro eo, unde aliquid est, sit, aut cognoscitur: ergo hæc obiecta, quæ respectu actuum tantum sunt unde actus cognoscuntur, & actus, qui tantum sunt unde habitus cognoscuntur, & non unde sunt, aut fiunt, sicuti non sunt principia essendi, ita nec distinguendi, nec specificandi. Deinde obiecta, quæ mediis speciebus in actus influunt, & sunt illorum principia illos specificabunt mediis speciebus, & ita specificatio procedit à principio actiuo, quod ego intendo à speciebus immediatè, tanquam à principio actiuo immediato, ab obiectis mediatè, tanquam à principio actiuo mediato, non vero tanquam à puro obiecto.

Quod autem in definitione scientiæ intret obiectum, probat non posse cognosci scientiam sine obiecto, non vero suadet hoc esse specificatum illius. Tandem vltima consequentia, quam deducit hic author, videlicet actus specificari per ordinem ad obiectum, nec contra me negantem actus specificari ab obiectis, neque ad rem est, aliud enim est actum specificari per ordinem ad obiectum, aliud specificari ab obiecto, cum enim actus per se ipsum dicat ordinem ad obiectum, & hic ordo non distinguatur ab ipso actu, dicere specificari per ordinem ad obiectum, est dicere specificari per se ipsum, qui est ordo ad obiectum: specificari autem ab obiecto, dicit obiectum esse principium, & determinatum specificationis formalis, & intrinsecæ, quam per se ipsum habet actus, sicuti quilibet alia entitas per se ipsum formaliter est suum specificationem formalem, per quod in sua specie constituitur, & ab omnibus aliis distinguitur.

Vigentiorum rationem contra meam sententiam, nec refert, nec habet hic author, in sua autem explicanda longior, sed non difficilior exiit. Defendit: scientiam suam vnitatem, & specificationem ab obiectis desumi, & à diuersa abstractione à materia; cumque sibi obiceret obiectum adequatum vnius scientiæ nullam habere unitatem in se, quam possit in scientiam refundere, distinguit obiectum in esse rei, & esse scibilis; atque obiectum vnius scientiæ, videlicet Metaphysicæ nullam unitatem habere in esse rei, illam tamen habere in esse scibilis. Addit insuper hanc unitatem in esse scibilis, non solum esse extrinsecam denominationem à scientia desumptam, sed præter hanc dari in ipso obiecto aliam unitatem in esse scibilis, in qua sumitur extrinsecam denominatio à scientia desumpta.

Si probasset hic author obiectum in se habere hanc unitatem in esse scibilis distinctam ab extrinsecam denominationem desumptam, non parum promoueret suam sententiam; verum ad eam probandum, nec rationem inueniret, nec de illa querenda curauit. Frequens est apud hunc, dum se omni ratione destitutum inuenit pro sua sententia probanda ad auctoritatem Diui Thomæ recurrere, & nullam aliā rationem reddere, quasi ea, quæ Angelicus Doctor tradidit fide tantum credenda sint, eorumque ratio penitus ignoranda. Oportet forsitan Diuum Thomam referre, qui quacumque dixerint, volunt illius auctoritate fulcire, quod præstare non possent si illius ratione adducta mens Angelici Doctoris non haberet. Fateor Angelicum Doctorem distinguere obiectum in esse rei, & in esse scibilis, nego tamen in esse scibilis includere præter denominationem extrinsecam desumptam à scientia formalitatem aliquam distinctam ab ea, quorum habet in esse rei, neque talem formalitatem tradidit Diuus Thomas, & ita sicuti in esse rei nullam unitatem habet obiectum scientiæ, ita in esse scibilis nullam entitatem importat; præter extrinsecam à scientia desumptam. Obiectum in esse scibilis præter denominationem extrinsecam à scientia desumptam, nihil importare supra rationem formalissimam entis probo contr. 3. Metaphysicæ, Punct. 3. Ex quo concludi obiectum in esse rei, & in esse scibilis solum distinguui per extrinsecam denominationem à scientia desum-

ptam, & ita unitatem, quam habet in esse scibilis, & non in esse rei formaliter desumi à scientia, in eaque consistere nullo modo prius in obiecto, quam in scientia reperi.

Est etiam ficta abstractio, quædam obiectiua, quam vult hic author in obiectis reperi distinctam ab abstractione facta per actum intellectus, & extrinsecam denominationem ab actu intellectus desumpta: hoc enim, quod est abstrahere solum est intellectum propriis actibus rationes communes cognoscere, non cognitis rationibus differentialibus, & ab huiusmodi cognitione obiecta extrinsecam, & non alio modo abstracta dicuntur.

Dixi eum, qui assereret libros de Generatione, vel de Anima continere vnam scientiā distinctā à libris Physicorū, sola tantum Doctorum auctoritate, & non ratione aliqua conuincendam esse. Oppositum censet iste, cum quo ago, euidenter demonstrari, demonstrationem his tantum verbis instruit, & illustrat, quia sine communibus principijs particularia sciri non possunt. Quid hoc ad intentum demonstrandum? Videant mediocriter docti, tantum vellem, ut recordaretur iste dari scientias subalternas.

Confirmare intendunt suum intentum ex eo, quod in re hac diuersæ sunt opiniones, & mens Angelici Doctoris dubia. Videat qualis sit euentia in re opinionibus subiecta, & circa quam de vnius Angelici Doctoris mente dubitatur. Deinde, & si aliquid dem arbitrio Principum scientiarum in scientiis diuidendis, rationem formalem subiecti, ex vi cuius, quælibet totalis scientia ab aliis distinguitur ex ipsa rei natura desumi auctori conel. Cur igitur de naturis rerum, seu de auctoritate ipsarum attenda sit, ut non permittat ad vnam scientiam reuocari, & de diuisionibus scientiarum, quas asserui rerum naturam earum scientiarum Principes fecerunt. Dubia, & opiniones oriri non possunt, sicuti ipse asseruit oriri de mente Diui Thomæ in hac materia?

Dicit hic author scientias inter se distingui specie. Non me cogent id concedere rationes illius, quas adhuc in re clarissima desidero, visum tamen nemo in dubium vertet, actus, & habitus ad Metaphysicam pertinentes specie distingui ab actibus, & habitibus ad Mathematicam spectantibus, & ego, qui in quacumque scientia plures actus, & habitus, specie distinctos agnosco, nunquam reculare potero ex duabus, quibuscumque scientiis designatis vnam includere actus, & habitus specie distinctos ab actibus, & habitibus alterius. Tantum assero in unitate ordinis plurium actuum, & habituum specie distinctorum, in qua scientiæ unitas consistit, aliquid dandum esse arbitrio Principum scientiarum, attentis semper naturis subiectorum scientiarum, ne inter se valde disparatæ ad vnam scientiam quis intendat reducere.

§. II.

Impugnatur Thomistarum sententia.

Communis Thomistarum opinio fert scientias distinguui per obiecta adequata, & hæc per distinctas abstractiones; assignant enim triplicem abstractionem, ex vi cuius triplex obiectum scientiæ constituitur. Prima est vi cuius abstrahitur natura specifica ab indiuiduatione, non tamen à materia sensibili, ut cum per intellectum abstrahatur rationem hominis à Petro & Ioanne, per quam dicor abstrahere ab indiuiduatione, quia conceptus ille, ex vi cuius hominem cognosco non terminatur ad indiuiduationem, & non dicor abstrahere à materia sensibili, quia homo secundum se indiuiduatione seclusa sensibilis est. Alia abstractio est à materia sensibili, & non à materia intelligibili; ut cum concipio ipsam materiam secundum se, abstraho, à materia sensibili, quia materia secundum se sensibilis non est, & non à materia intelligibili, quia materiam ipsam ex vi illius conceptus intelligo. Alia abstractio est à materia sensibili, & intelligibili, ut cum concipio ens, aut substantiam, præcisam, quæ secundum se non dicunt materialitatem, ac proinde ex vi conceptus, quo abstraho has rationes, materiam non intelligo. Iuxta has abstractiones distinctas triplicem scientiam Thomistæ distinguunt, Metaphysicam, quæ abstrahit à materia sensibili & intelligibili; Mathematicam quæ abstrahit à materia sensibili & non intelligibili; & Physicam seu Philosophiam quæ abstrahit ab indiuiduatione, non tamen à materia sensibili.

17 sensibili, neque à materia intelligibili. Alij asserunt omnem scientià debere abstrahere à materia, quia intellectus spiritalis est, & immaterialis, & ita non potest obiecta attingere nisi à materia abstracta, & ita primam abstractionem à differentia individuali vocant abstractionem à materia tantum singulari, secundam à materia singulari, & sensibili tantum, tertiam à materia singulari sensibili, & intelligibili.

Contra hæc abstractionum genera primò occurrit non levis, nec facile soluenda difficultas, cur videlicet prima abstractio ex vi cuius concipitur homo, non sit abstractio à materia sensibili: & secunda per quam concipitur materia ut sic, sit abstractio à materia sensibili, non enim mihi minus sensibilis est homo ut sic quam materia ut sic, sicut enim implicat materiam ut sic sentiri, sic implicat sentiri hominem ut sic; tantum enim sentimus hæc accidentia individua physicè existentia, & non rationem aliquam abstractam ab ultimis differentiis individualibus. Quod si dicas, hominem ut sic non abstrahere à materia sensibili, quia includit conceptum materiale necessarib. contrahendum per rationes individuas materiales sensibiles, idem dicam ego de materia ut sic quæ ultimò contrahenda est ad individua sensibilia. Secundò: illud quod potest contrahi per rationes individuas ab illis dicitur abstrahere: ergo homo ut sic potens contrahi per individua, quibus conveniat sensibilitas, seu capacitas terminandi sensationes contractione seclusa rectè dicitur abstrahere à materia sensibili. Secundò sicuti constituunt Thomistæ quamdam abstractionem à materia individua & abstractionem à differentiis individualibus vocant abstractionem à materia individua, cur non constituunt abstractionem aliam à ratione corruptibilis, quam vocent abstractionem à materia corruptibili, & ratione illius constituunt aliam scientiam de ente incorruptibili, seu abstrahente à corruptibilitate. Tertiò in Metaphysica triplex abstractio inveniuntur prima est transcendentium, quæ abstrahunt à materia præcisiuè, quia illam non dicunt, non tamen negatiuè, quia cum his transcendentibus ratio materiæ non opponitur, potius prædicata, quæ transcendentia dicuntur, de quibus agit Metaphysica, reperiuntur in quocumque materiali individuo, & hæc abstractionem permittimus appellat P. Suar. disp. 1. Metaph. sect. 2.

Alia est abstractio, quam dicunt intelligentiæ, eorum quæ negatiuè abstrahunt à materia, quia illis repugnat materiale subiectum, ex quo simul & ex forma componentur, non tamen abstrahunt ab omni compositione physica, quia dicunt compositionem ex substantia & accidenti. Tertia abstractio omnium perfectissima reperitur in Deo, ex vi cuius negatiuè abstrahitur ab omni compositione, etiam ex substantia & accidenti, quia Deus est ens simplicissimum; ergo si obiecta scientiarum, & scientiæ multiplicarentur per diuersas abstractiones, in vna Metaphysica tres possemus scientias diuidere. Scio nonnullos existimasse consequens vi illationis admittendum esse, in quibus Smigletius illud satis probabile esse affirmat disput. 17. quæst. 2. verumtamen Thomistæ, & ferè omnes authores qui asserunt vnam Metaphysicam completi Deum, & intelligentias, hac solutione vti non poterunt.

18 Quartò de rebus spiritualibus habentibus eundem gradum abstractionis à materia agunt distinctæ scientiæ: ergo hæ scientiæ distingui non possunt per distinctas abstractiones à materia. Probo anteceden: Scientia animalica, seu Philosophia agit de operationibus intellectus quatenus sunt spirituales, quatenus important actionem, ex vi cuius ab intellectu procedunt, & quatenus dicunt qualitatem, in qua verbum mentis constituitur, & quatenus per actionem, vel qualitatem formaliter constituuntur in ratione intellectuum, & quatenus sunt vitales, & secundum alias huiusmodi formalitates, Logica seu Dialectica agit de eisdem operationibus quatenus dicunt directionem formalem formalis sciendi instrumenti, videlicet definitionis, propositionis, & syllogismi mentalis; & quatenus ex vi illarum formaliter, vel quasi efficienter constituuntur genus, & differentia, superius, & inferius. Sed operationes intellectus quatenus habent proprietates illas de quibus Philosophia disputat, & quatenus obeunt hæc munera de quibus disputat Logica, sunt in eodem gradu separationis, seu præcisionis à materia, & in eodem vniuersalitatis gradu: ergo hæ scientiæ non distinguuntur per distinctas præcisiones à materia.

Rursus eundem modum distinguendi scientias per hanc abstractionem à materia impugno. In his diuersis abstractionibus tantum reperiuntur actus intellectus, illorum obiecta, & denominationes, quæ ex actibus deriuantur in obiecta: sed Scientiæ non distingui dicuntur per actus, aliàs dicerentur distingui per se ipsas, & si hoc diceretur, procederet difficultas de ipsis actibus, de illis enim inquiramus, quid speciale habeant, ratione cuius hanc scientiam constituent distinctam ab illa, & ratione cuius horum collectio ad hanc scientiam spectet, & nullus alius ab his distinctus ad eandem pertineat. Si dicas distingui per obiecta horum actuum per quos formaliter, aut quasi effectiuè obiecta abstracta dicuntur, incidit in communem sententiam asserentem scientiam distingui per obiecta, cuius difficultatem expendi supra, nullum enim apparet caput, ex quo possumus cognoscere, quod sit obiectum adæquatum huius scientiæ totalis ut distinctum ab illa. Per denominationes ex actibus in obiecta resultantes non audebis dicere scientias inter se distingui, quia distinctæ denominationes supponunt distinctionem actuum, per quos denominationes constituuntur, vel à quibus resultant tales denominationes.

§. III.

Reiciuntur alij dicendi modi.

20 Respondent alij scientias distingui per distincta attributionis obiecta, quia omni scientiæ distinctum ab alia conuenit vnum attributionis obiectum distinctum ab obiecto attributionis reliquarum scientiarum. Admitto in quacumque scientia reperiri vnum attributionis obiectum, ad quod omnia, quæ in illa scientia disputantur, diriguntur; verumtamen per hoc non posse scientias inter se distingui, sic probo. Respectus ad obiectum attributionis distinctum debet supponere ipsum obiectum attributionis distinctum ab obiecto attributionis alijs scientiæ: ergo aliud assignandum est caput, per quod distinguatur obiectum attributionis huius scientiæ ab obiectis attributionis aliarum scientiarum, quod æquè difficile erit, ac esset assignare sine ordine ad hoc attributionis obiectum, obiectum adæquatum formale huius scientiæ condistinctum ab obiectis adæquatis formalibus reliquarum scientiarum. Deinde assignato obiecto attributionis huius scientiæ superest difficultas in assignandis reliquis obiectis attributi pertinentibus ad eandem scientiam, quia etiam omnia obiecta attributi spectantia ad hanc scientiam debeant ordinari ad illius attributionis obiectum, non tamen omnia obiecta, quæ ad illud obiectum attributionis possunt ordinari, necessarib. dicuntur ad eandem scientiam pertinere, aliàs scientia quæ haberet pro obiecto attributionis Deum complecteretur tanquam obiecta attributi omnia obiecta creata, quia hæc omnia possunt ordinari ad vnum obiectum attributionis increatum tanquam effectus ad causam, à qua procedunt. Eademque ratione ad obiectum attributionis ad quod ordinantur operationes intellectus, quatenus sunt spirituales, actus vitales, & dicunt qualitatem vel actionem, possent ordinari, quatenus constituunt formalem definitionem, syllogismum, genus, speciem, superius, & inferius; quia directio operationum intellectus indistincta ab ipsis rectè poterit ordinari ad ipsas operationes secundum se constituendas, & ad cognoscendum principium ratiocinandi, & animam, à qua procedunt, & consequenter ad idem attributionis obiectum, ad quod ordinantur ipsæ operationes, quatenus vitales, spirituales, &c. ergo pertinebunt ad eandem scientiam secundum se sumptæ & ut habentes directionem, quam præscribit Logica.

21 Vltimò in Metaphysica cui plerique Deum assignant tanquam attributionis obiectum, nulla poterit ratio ex hoc attributionis obiecto assignari, cur tantum se extendat tanquam ad obiecta attributi ad illa entia, quæ præcise ad illa entia, & non se extendat ad alia plura, quæ etiam possent ut obiecta attributi ordinari ad Deum tanquam ad obiectum attributionis, æquè enim ordinantur ad Deum alia entia, quæ à materia non abstrahunt, quam entia abstrahentia à materia.

22 Alij, in quibus nostri Conimbricienses quæst. 1. procedunt Physic. asserunt scientias distingui per distinctas scibilitates obiectorum, quia quæcumque scientia distincta includit